



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

Eryci[i] Pvteani Ad Divam Virginem Aspricollensem Melos Votivvum, cùm
Θαυμαζα sua offeret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

ERYCI PVTEANI
 A D
 DIVAM VIRGINEM
 ASPRICOLLENSSEM
 MELOS VOTIVVM,

cum *Θάνατα* sua offerret.

O VIRGO-MATER *Virginum,*
Matrumq; VIRGO, *qua* ASPERVVM
 COLLEM *regis, non asperum:*

Te fusa gens mortalium

Per abditos mundi sinus,

Iber, Britannus, Sarmata,

Cuiusque flavi Tybridis,

Salutis indigens, adit.

Te, proximo qui limite

Germanus, aut Gallus premit

Rheni latus, Mosa latus,

Salutis indigens, adit.

Hic mentis, ille corporis

Aeger, petit solatium,

Et impetrat; iam mitius

Terens solum, Penatium,

Et hospiti felix Laris,

Et urbis, atque moenium.

H 2

Strata

60 AD DIVAM VIRGINEM

Strata iacent tot ilices,
Duroque sub ferro gemunt
Nodosa ligno robora.
Iacentque nuda vepribus
Dumeta, tesqua sentibus;
Calcata libero pede,
Et integro vestigio.
Ergo omnis horror exulat,
Horror malus. Quid amplius?
Et impij domita iacet
Erroris obstinatio,
Claris fidem MIRACVLIS
Audax negare: sed iacet,
Calcata tot MIRACVLIS.
Accedit iste nunc tui,
O VIRGO, Vatis PROTEVS
BAVHVSI; istud nunc tuum
MIRACVLVM, MIRACVLVM;
Pictus tot astris PROTEVS,
Versus pius tot Versuum,
Lucens tot ignibus Pharus,
Vnius & Versus Liber,
Vnius & Versus Libri:
Quem tu benigno respice
O VIRGO-MATER numine.
Sed hac simul mea, hac mea,
O VIRGO-MATER, hac mea
Fauore blando THAVMATA

Dignare;

Dignare; mentis innocens
 Qua fudit ardor, intimas
 Carpens medullas flammulis
 Caestibus. Sic virgine
 Corruptus igni, igni pio,
 MIRANDA laudo, sed tua
 Laudanda MIROR, sed tua.
 Tu namque, VIRGO, concitas
 Hanc entheatam pectoris
 Auram mei, hanc oris mei;
 Meoque verba sensuum
 Fecunda subseris stilo;
 Fecunda succi, sed pij;
 Fecunda floris, sed pij.
 Tu VIRGO scribis, tu meo
 Hac pangis ore THAVMATA,
 Amoenioris ingenI
 Imbuta rore THAVMATA.
 Hac ergo reddo, qua tua
 Sunt, qua loquentur me tuum.
 Beatiore tesserâ
 Caestium quis coetui
 Se miscuit? Sed VIRGINEM
 Hac tesserâ sequi licet,
 MATREMQUE habere VIRGINEM.
 O te sequar! te habeam mihi!
 O VIRGO-MATER, te sequar!
 Curis nec illiger malis!

62 AD D. VIRGINEM MELOS.

Votis nec illiger malis!
Caligo mentis pertinax,
Errorque cacus lubricam
Mortalium vitam trahit.
Hic Venere molli diffuit,
Hic feruido mersus mero,
Instar iacet cadaueris:
Est qui cadauer ambulat,
Vino sepultus corpore.
Hic mille slipat artibus
Aurum, sed ipso in auro eget:
Hic ore fertur omnium,
Ignotus & uiuit sibi.
Ludibria, ô ludibria!
Te VIRGO-MATER, te sequor,
Ad magna cali sidera,
Ad pulchra cali sidera.
Quid magna, pulchra nomino?
Te, VIRGO, qui uidet, poli
Lucentis igneas faces,
Et quidquid est magni, uidet,
Et quidquid est pulchri, uidet.
Tu siderum ducis choros,
Mundique, VIRGO, mundus es.
An plura? MATER es DEI,
Es THAVMA, VIRGO, THAVMATVM.

ERY-